

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm
Eloqventiæ,**

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

LXXVIII. De Tribus Magis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

dignos judicemus, quin eorum concursum dirum
nobis, terrum, atq; ominosum putemus, neq; nos
juxta serpentem mortiferum securè dormire pos-
se credamus. Ira pietas, quæ illorum procellis pe-
nitus obruta esse videtur, speciosior & constantior
ex illis fluctibus in clariss. nostra Rep. emergent &
coalescent mutua concordia mentes omnium,
nullus armorū strepitus, nullæ cædes, nullum im-
proborum facinus audietur, ipsa deniq; mœnia &
recta è tot calamitatibus emesa quodammodo
lætabuntur, gestient, ac triumphabunt. DIXI.

LXXVIII. DE TRIBVS MAGIS.

Nisi existimarem, A. H. persuasum vobis jam
esse, me non timere, aut mea sponte hunc or-
natissimum ad dicendum locum occupasse; sed il-
lorum imperio, quorum auctoritati refragari non
debeo; nulla mihi prosequendi muneris cæpti
esset fiducia: præsertim cum non ignorē & q[uan]ti
doctissimum hunc cœtum vestrum æstimare
debeam, & quod tanta sit rerum, de quibus mihi
ut dicerem mandatum est, difficultas, ut ingenia
hominum eruditorum mihi semper modis torse-
rit, exercuerit, fatigarit. Est enim mihi differen-
dum de præclarissimo illo trium Magorum faci-
nore, quod ex Oriente venerunt adoratum Re-
demptorem humani generis Christum Dominum,
qui vix tum natus, ac eriamnum præsepii angu-
stis inclusus in extremos Orientis Orbis fines
oculos porrexit, & gentes reterritimis impietatis te-
nebris immersas noviluminis splendore ad se quæ-
rendum & cognoscendum invitavit, ac pertraxit.
Quæ res postquam non tam hominem, quam An-
gelum; non meam infantiam, sed divinam quan-
dam requirat eloquentiam, sum ardentibus votis
ante omnia mihi adeundum esse video, qui os
mutorum aperit, & linguas infantium fœcundo
suo

suo Spiritu facit disertas, neme, tanquam Ozam, res tantas oratione non secus ac manibus tractare instituentem evettat, & percellat, sed lumen illud splendidum menti meæ elemens infundat, quod trium Magorum, primorum suæ gloriæ ex gentibus præconum, mentibus cælitus inspiravit. Quare vos A.H. exoratos velim ut mecum ad hunc cœlestem Patrem ex imis pectoribus eam precationem fundatis, quam exauditum illum veracissimus Filius certò promisit, & Virgini Matri, quæ hunc gentium Illuminatorem, ex se editum, sinu suo complexum Magis illis contuendum, & adorandum exhibuit, Angelicam, ut vocant Salutationem offeratis.

Pulsus est jam omnis metus animo A. fugatus est, excessit; liberiorem posthac cursum tenebit oratio. Nam & divinam opem imploratam imbecillitati nostræ spero præsidio futuram, & frequens hic vester conspectus, hæc omniū alacritas vultu & oculis significata, meum animum mirandum in modum recreat atq; confirmat. Antequam autem orationi meæ ad immensum pelagus superrandum plenè pandā vela, certos mihi fines & terminos constituā, certisq; cancellis me ipse cingā, extra quos egredi non possim, si maximè velim, ut & mihi sit propositū de quo dicam, & vos Aud. ante animo prospicere possitis, quibus de rebus sitis audituri. Primum rem gestam à Magis ordine vobis in memoriam revocabo: deinde quæ in ea perplexa sunt nobis, & obvolura obscuritatibus, pro meo modulo, enodare, & elucidare conabor: postremè egregiis Magorū ornamentiis ac dotib⁹ examinatis, vos omnes ad peresequenda eorum vestigia incitabo, de his tribus cum dixerō, perorabo.

I. *Principio quando nova illa & admiranda stellæ species (quam Prophetia designat exortaram ex Jacob⁹) Magis indicasset Nativitatem Christi,*

Christi, illi nihil deterriti itineris magnitudine,
domo, Patria, amicis, necessariis, propinquis, at-
que adeò Regno derelicto, Hierosolymam sese
prævia stella contulerunt, sive quod illic agerent
Scribæ & Pharisæi, in Lege & Prophetis eruditissi-
mi, sive quod intellexerant Regem haud procul
ab Hierosolymis nasciturum, non illum vulgarem
quempiam, atque ex numero cæterorum, sed in-
signem & incomparabilem, cuius potentiam, sapi-
entiam ac bonitatem, humana majorem, totus or-
bis esset experturus. Siquidem jam certi natum es-
se, tantum sciscitabantur quisnam esset ille locus,
tam inclito partu felix? Existimabant enim tanti
Principis nativitatem non posse latere apud eos,
qui nasciturum tot seculis expectaverant, præser-
tim cum non solum apud illos, verum etiam ex il-
lis natus esset. Et licet Herodem alienigenam am-
pliss. & florentiss. regnum (Judææ enim Samariam
tunc & Galilæâ cum Chalcide coniunxerat) inau-
dita tyrannide & incredibili sævitia non admini-
strare, sed funestare, & de his potissimum, quos de
regni sui mutatione vel leviter suspectos habui-
set, immanissima supplicia sumere comperissent:
ipso tamen, omni timore reposito, suæ tam longin-
quæ profecitionis causam, eis si longè sibi invidio-
fissimam, coram omnibus liberè edicunt, & palam
sciscitantur: ubi, inquiunt, est ille qui nuper natus est
Rex Iudeorum? Nos enim certo indicio natum il-
lum cognovimus. Nam cum procul hinc agere-
mus in Oriente stellam ejus admirabili specie vi-
dimus. Vidimus stellam, & sensimus afflatum. Pro-
inde quoniam scimus omnium bono nasci nos, li-
cet alienigenæ, sumus huc profecti, ut illum ado-
remus, novoq; regi debitas honoris primitias ex-
hibeam⁹, non ignari felices futuros, qui illius Nu-
men habituri sunt propitiū. Huiusmodi sermonē
cum illi simpliciter & intrepide apud quosvis
effun-

effunderent , illico rumor ad Herodem Regem perlatus est , qui jam pridem ejus nascituri famam horruerat metuens ne quando regno , quod occupaverat alienigena , deturbaretur , si tantus princeps è Judæorum stirpe extitisset . Si quidem is nihil aliud quam terrenum regnum somniabat ; ignarus Christum aliud regni genus invehet ; quod ad universos homines pertineat . Itaque postquam natum audierat , quem metuerat nasciturum , & audierat à Magis , viris & eruditione , & fortunæ strepitu nequaquam aspernandis , sanguinibus turbatus est animo , simulque cum hoc tota civitas Hierosolymorum , aliis aliud meruentibus , aut sperantibus . Etsi autem Herodes , livore & iracundia , totus arderet in exitium nati pueri ; tamen impia crudelitati praetexuit specie pietatis . Convocavit enim ex ordine Sacerdotum cunctos Pri-mores ac Scribas populi Judaici , & ab illis sciscitus est , ubi nam nasciturum Christum oracula promisissent . Illi non odio furentes in Christum , quem non viderant , simpliciter respondent , in Bethlehem Judæ , & ne parum ponderishaberet ipsorum auctoritas , ecce in promptu habent vaticinium Michææ Prophetæ : Et tu Bethlehem terra Iuda , nequaquam minima es in principibus Iuda : ex te enim orietur Dux , qui reget populum meum Israel . Rex primum Magorum oratione non leviter commotus , hoc responso tam prompto prorsus exanimatus est , præsertim , cum Prophetia palam pollicereetur Ducem Bethlemiticum , qui regeret populum unde natus esset . Sacerdotibus itaq; ac Scribis dimisis , quibus sese desperabat posse imponere clanculum ne Judæi dolum suspicarentur , accessit ad sese Magos , & sic communicata re quasi idem agerent utrique , diligenter percontatus est eos , quodnam esset temporis , quo illis primum appariisset stella , cuius indicio tantum itineris emens venissent .

venissent Hierosolymā, ut certius in unum caput
sævi et crudelitas. Magi (ut non est suspiciora pietas) nihil illum celant, haudquam suspicantes
eum esse tam immanem, ut in infantē vix dum na-
tum, sævire vellet, neque tam furiosum, ut se spe-
raret humanis consiliis oppressurum, quod divini-
tus ageretur: indicato tempore, ille vicissim indi-
car locum quem à Scribis didicerat. Iamq; spē cer-
ta concepta, his duobus indicis puerum posse
deprehendi, Magos ultrō ituros, etiam suo nomi-
ne mandatis onerat, adirent Bethlehem, summa-
que diligentia vestigarent de puerō, moxque eo
comperto Hierosolymam reversi; se facerent to-
tius negotii certiorem, causam prætexens admodū
piam, & ab animis Magorum minimum abhorten-
tem, ut & ego, inquir, vos imitatus, adorem eum. Si-
bi primum volebat innotescere puerum, ut eum
prius tolleret ē medio, quām populus Judæus cum
planè rescisset esse natū, Deo interim & hoc pro-
curante, ut incolumes redirent Magi, suis regio-
nibus annuntiatur Christum. Alioqui, ni spes hæc
scelerato imposuisset, sæviturus erat in Magos
ipsoſ, qui nuntium tam inauspicatum attulissent.
Magi pia simplicitate, auditore rege, contendunt
Bethlehem, quos in hoc stella, quæ illos exciverat,
ad tempus destituit, ut barbari primi Christum an-
nuntiarent natum, quem illi tot seculis expectatū
post occiderunt. Sed hac parte divini consilii fun-
dis, rursus aderat mirabilis illa stella, quæ sic illo-
rum pietati serviebat, ut non solū Bethlehem, sed
& ipsum tugurium humile, & ob hoc inventu dif-
ficile, indicaret: atque adeò ipsius pueri capiti im-
minens ē propinquo, ceu digito demonstraret ex-
petitum infantem. Hæc igitur ubi tutsus apparere
cœperat, omnem solicitudinem ex animis illorum
dispulit, jamq; certa spē simul & gaudio pleni ne-
glectis hominum judiciis, cœlestem ducem securi-

Pars I.

T

moxi

novi Regis palatum, vident sordidum & abjectum
tugurium. Nihil commovetur his rebus syne-
pietas, ingrediuntur, reperiunt infantem, nihil
cæteris specie differentem; reperiunt matrem, ni-
hil magnificum præ se ferentem. Paupertatem
ac simplicitatem tota supplex testabatur. Magi,
qui non adoraverant Herodem regem, è solio re-
gali strepitu jactantem sese, ad pueri vagientis cu-
nas procumbunt, adorant proni nondum fan-
potentem. Nec hac pietate contenti, depromunt
è repositoriis suis destinata munera, *Aurum, Thus,*
& Myrram, ne viaticum deesset mox fugituro. At-
que his fidei primitiis gentes, quæ procul aberant
à Judæis, qui Deo videbantur proximi perva-
entes, Christum sibi inaugurant, seseque vicissim
illi dedicant, triplici rerum genere novum sacri-
ficium offerentes; jamque veluti per ænigma Tri-
nitatem illam ineffabilem profientes, Patris, Fi-
lli, & Spiritus sancti; simulque in uno homine
mortalitatem, Sacerdotium, & regnum agnoscen-
tes. Siquidem aurum regi convenit, thus sacerdo-
ti, myrra morituro. Natus est mortalis, sacrificia-
vit in cruce, vicit resurgens, regnat in cœlis. Tot
prodigia viderant Judæi, & cognitum, totque mi-
raculis coruscantem, ac omnibus beneficentem
occiderunt: nihil præclari videre Magi, quod ad
oculos corporeos pertinet, & sibi gratulantur
eam peregrinationem fuisse felicem.

Cæterum cum secum agitarent, an redeundum
esset ad Herodem, ut illius animo satis facerent, in
somnis admoniti sunt oraculo divino, ne se refer-
rent ad Herodem: id. n. nec ipsis esse tutum, nec
puero. Illi non segnes parent oraculo ac diversa via
reversi sunt in patriam, apud suos novi Regis, novi
præcones futuri.

II. Hæc, sicut exposui ita gesta sunt, A. Proxi-
mum est, ut investigemus primum, cur tanti faci-
oris

toris auctores nominatisint Magi: deinde unde,
& quo tempore venerint: tum, quænam illa fue-
rit stella, quæ eos usq; ad Christum perduxit.

Quod ad primum attinet, constat doctis, penes *Cur Magi antiquos triplicis generis fuisse Magos, quorum dicti Vide.*
primi erant doctissimi atque abstinentissimi, ut ex- *Tom. I.*
cepta farina & oleum, nihil aliud in cibum habe-
rent: alii erant Sacerdotes Persarum: tertii vero
generis fuerunt, qui invocationibus dæmonum
intendentes, vel ad commovendos animorū affe-
ctus in contraria studia, vel ad futura prænoscen-
da, & occulta divinanda, maleficia exercebat. Etsi
autem hos Reges arbitramur illius Magiæ fuisse
studiosos, quæ ex rerum naturalium cognitione
percipitur; tamen, quoniam in his venerandæ an-
tiquitati nonnihil deferendum est, haud impro-
bamus majorum sententiam, qui dixerunt hos illi
Magiæ, quæ per invocationem dæmonum fieri
solet, operam dedisse. Ideo enim inquit Ignatius,
ad Ephesios, dū agit de Magis, hinc evanuit mun-
dis sapientia, præstigia factæ sunt augæ, Magia ri-
sus, omnes ritus malitiæ aboliti, ignorantia caligo
fugata, & tyrannicus principatus destructus, cum
Deus ut homo apparuit, & homo ut De° operaba-
tur. Non autē venerunt hi Magi è terra Chaldæo-
Vnde ve-
rum, nec è Perside, ut quidā voluerunt; sed ex Ara-
beria Orientali, fuerunt enim Reges, non quidē pro-
pinquieroris Judææ Arabiæ; sed potius interioris
*partis illius provinciæ, quæ longe lateque ad Ori-
entem & Meridiem sese diffundit. Docebit hoc il-*
lad Prophetæ Davidis: Reges Arabum & Saba dona
adducent. Docet illud Isaiæ: Inundatio camelorum
operiet te, dromedarii Madian & Ephæ: omnes de Saba
venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino
annuntiantes; docent idem harum gentium princi-
pia. Constat enim ex Scriptura, Abraham ex Cetu-
ra multos genuisse filios, & inter alios Ieschan, &

Madian; ex Jecsan verò ortus est Saba; & ex Ma-
dian, Ephā, & alii, qui omnes Arabiam incolue-
runt, atq; ex eorum nominibus loca ipsa sunt for-
tita nomina, ac populi nominati Sabæi, & Madia-
nitæ. Huic accedit, quod Balaam, sacerdos quon-
dam gentium, in Arabia de oritura stella est va-
cinatus, quoniam à Rege Moab Balac mercede
eſſer conductus. Sicq;, sive Scripturam, sive Tra-
ditionem de stella & Rege futuro, penes Arabes
(quibus pronuntiata fuerat) perpetua memoria
viguisse, par est credere, qua admoniti & novæ
stellæ visu excitati, simulq; directi, quæſitum Re-
gem Judæorum in Judæam venerunt. Sic Regina
Saba, ex iisdem & ipsa Ceturæ filiis originem du-
cens, audita fama Salomonis, venit eū explorare,
& ut loquitur Scriptura, in ænigmatibus tentate,
cui eadem, quæ Magi munera attulit, aurū & aro-
mata, licet & gemmas superaddiderit. Quæ, obſe-
cro, tanta cupido, cum illius tum Magorum, qui ex
iisdem progenitorib^o descendebat, incessit animū
de Rege, qui in Israel regnaret, perveſtigando, niſi
quod in illis regionib^o de re tanta Balaam oraculo
erant admoniti, at quod illa credidit esse impletū
in Salomone, qui & ipſe Christi venturi typum ge-
rebat, iſti duce stella adhuc perquirendū putarunt
Regem Israel, quem & feliciter invenerunt. Cum
enim natus eſſet, statim viderunt stellam, & mox
Judæam versus iter ſuſcepérunt, totumq; itineris
ſpatiū, uſi dromedariis cursu velocissimis, termino
dierum tredecim confecerunt, hincq; Bethlehem
pervenēunt crastino die, quo Ecclesia eiusmodi
Magorum ad Christū adventum (quod eo vocatio
gentium ad Christum expressa fuerit) percelebri,
anniversario cultu cōſuevit celebrare, ac magnifi-
centiſſime colere, adeò ut extorris proſuſ à Chri-
ſtiana Religione olim videretur, qui tātæ ejus dici
celebrati nō interfuerint. Qui autem post bienni-
um à

um à Christo nato eos Rethlehem venisse tradunt, dicant rogo, an id acciderit, quia non statim ut viderunt stellam, se itineri commiserunt? At non ea causa, quandoquidā eos confessim, ut stellam inspexerunt esse profectos Evangelista non obscurè insinuare videtur, alioquin fecisset eos suspectos posteris nomine ignaviæ, si tam insolito signo admoniti, adhuc annum & menses multos oscitanter nimis moras agere decrevissent. Si vero statim ut in cœlo visa est stella iter arripuerunt, quidnam fuit causæ, ut biennii tempus insumpserint initinere? cum, non dico si è Perside, vel Babylone, sed et si ab extremis Indiis Orientalibus profecti fuissent, illud, licet longissimum itineris spaciū, sex mensibus eos confidere potuisse quilibet rerum æquus æstimator prima fronte dijudicabit. Præterea si post biennium advenerunt, quomodo eum in Bethlehem invenerunt, quem post quadraginta dies ex mandato Legis Mosaicæ tulerunt in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, & hisce impletis officiis Joseph & Maria una cum infantulo reversi sunt in Galilæam atq; Nazareth habitarunt? At objicitur nobis quod Evangelista dicat, Herodem, missis vesaniæ suæ ministris, occidisse omnes infantes bimulos, aut hac ætate minores, ex supputatione temporis, quo Magi prædixerant sibi primum visam esse pueri stellam. Ad quod primū inferimus id, quod Chrysostomus sic ratiocinanti bus respondens ait: *Quod Herodes à biennio & infra pueros interfici jussit, non mireris: si quidem conveniat in eum tyrannum pavor & furor. Pro abundantia cautionis majus tempus inclusit ne quis vel proxima etatis effugeret. Hæc ille, & prudenter sanè. Quis enim insipientis tyranni, & metu perdidi regni in proprios filios immaniter debacchantis, furorē intra terminū rationis vel temporis metam putaverit contineendum?* Tyrannorum est cuncta pavere, nec

T 3

quan-

tumvis adhibita cautela atq; custodia posse reddi securos. Didicit ille à Magis tempus stellæ, potuis-
set simul intelligere tempus nascentis infantis, ta-
men veritus ne fortassis antea natus esset, quām illi
stellam vidissent, ea sibi arte consuleandum putavit.
ne ulterius, quod in ea suspicaretur, reliquū esset:
sicut cum nulla subesserat ratio, ut qui extra Bethle-
hem nati essent, occiderentur, eò quod ex Divina
Scriptura per Principes Sacerdotum & Scribas cer-
tior factus esset, quod Christus in Bethlehē nasce-
retur, tamen omnes, qui in omnib⁹ finibus ejus es-
sent, necari præcepit. Dilatavit tempus crudelitas,
dilatavit locum, pueros universos complexa, pu-
tans hoc impio consilio satis caustum esse, ne qua
posset elabi, quem cupiebat extinctum.

Sed videoi mihi, A. unde, & quo tempore Magi
ad Christum venerint satis ostendisse: proximum
est, ut inquiram, cuius generis astrorū fuerit stel-
la, quæ iisdem apparuit. Apud omnes antiquos Pa-
tres in confesso est, eam nequaquam ex illis fuisse,
quibus cœlos videmus ornatos, nec etiam ex illis,
quæ ex vaporibus coagmentatis accensæ in ære
Cometæ sunt dicitæ. Cum autem divino miraculo
cælitus apparuerit, naturæ superans facultatem,
cuius substantiæ fuerit non est facile definire. Un-
de in eo consentiunt omnes, divinā quandam fui-
se virtutem, quæ non tantum aspicientium oculos
fui fulgoris radiis illustraret, sed quæ & mentes il-
lorum divinali luce perfunderet, atq; ad Christum
natum perquirendum excitaret. Gregorius Ny-
senus existimavit esse Angelum, qui ea figura stel-
lae apparuerit. Quicquid sit, illud certissimum est,
Deum omnipotentem, qui visibilibus illis signis
per noctem & nubis columnam in die populum tot
annis per desertam regionem deduxit, eundem
ipsum stellæ signo Magos ad præsepe perduxisse.
Certè non eius fulgoris, quo cæteras nitere vide-
mus

mus stellas, fuisse, sed longe fulgentioris, S. Ignatius, proximus illis temporib⁹, declarat his verbis ad Ephesios scribens: *Stella fuit splendore exuperans omnes quotquot ante fuerunt: lux enim illius inenarrabiliserat, & stupore incusit omnibus aspicientibus eam, rei novitas: omnia reliqua astra, una cum sole & luna Chorus fuere stellæ illius, ipsa vero, claritate exuperabat omnes.* Hæc ille. Quib⁹ accedit, quod cum aliæ stellæ noctu duntaxat videantur, sole vero exorto obscurentur penitus & abscondantur: hæc lucente jam medio die radiis solaribus clarius fulgebat. Cum aliæ sub nimbis plerumque lateant, hæc nullius occursu nubis abdebat. Cum aliæ suum, naturæ inditum perpetuum semper teneant cursum; hæc ad viatorum voluntatem pergebat, & igneæ illius instar columnæ cum proficiscentibus ibat, cum stantibus insistebat, atque ita eos diu noctuque dirigebat, comitabatur, illuminabat. Cum aliæ malis perinde atque bonis luceant; hæc Magis tantum lucebat, Herodis & Scribarum subducta conspectibus. Cum denique aliæ suis orbi bus infixæ, de excelso cœli vertice nunquam discedant, hæc inferioris aëris partes terens, & sublimem relinquens, ad rugurum usque & præsepe Dominicum se demisit, donec ipsius quam proximè jam nati infantis capiti imminereret.

III. Videris, Aud. quam admiranda fuerit hæc stella, quæ cœli terræque lumen humanis oculis ingerebat. Verum ut è scopulosis & confragosis locis nostra oratio aliquando enaviget, restat ut Magonum admirandas & stupendas virtutes leviter delibemus. Anne in usitata fuit *humanitas* Regum, qui usq; adeo se abjecerūt, ut neglecto suo regno, ad infantem Judaici generis adorandum iter instituerint? Fuit. Anne inaudita fuit *humilitus* Magonum, qui ob sapientiam incredibilem, infantem, humili rugurio delitescentem, præ se non con-

temperunt? Fuit. Anne admiranda fuit fides Ethnorum, qui in infante tam abjecto Messiam ac Redemptorem totius humani generis, & Regem Judæorum cognoverunt? Fuit. Anne è diverso deterrima fuit et ceteras Judæorum? Fuit. Apud hos enim, etsi in confessio erat, creptum esse tribui Judeum regium sceptrum, ideoq; nihil superesse, nisi ut is mitteretur, ex antiquorum prædictionibus, qui cœlitus delapsus, in Israël regnaret, Gentes regeret, regnumq; Judaicum, quod aëto in crucē Antigono & extincto, fuerat extinctum, per crucem restitueret, & amplioribus spaciis propagaret? Etsi, inquam, hæc sciebant, neq; ignorabant, præterregnū etiā legitimā summi sacerdotii institutionē defecisse, & hoc utroq; collapso, ac funditus evenso, nihil aliud restare, nisi, ut Sanctus Sanctorū ungeretur: tamen ejus causa, ne quidē ad locum notum & vicinum accesserunt Alienigenæ, ab unius stellæ radio excitati, ad externū regem adorandū profecti sunt; filii verò regni, quos tot promissa cœlestia, tot SS. Patrum desideria, tot Prophetarū oracula ad quærendum Regem apud se natum excitabant, & qui aliis ex sacra pagina locum nativitatis ejus de nunciabant, loco non sunt moti.

Quare non minus prudenter, quam pulchrè B. Maximus: Quænam est, inquit, tanta permutatio? que ista conversio? Apud Iudaos propheta loquitur, nec auditur, apud Gentiles stella tacet & suadet. Verè sicut scriptum est: Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent. Et factum est inter Iudaos atque Gentiles quoddam perfidae fideique certamen. Nato enim Christo exultabat Chaldea, tota cum suis Principibus Hierosolyma torquebatur. Insectabatur Iudeus, Magus adorabat: Herodes acuebat gladium, Magus preparabat munera. Hæc ille. Est quidem res hæc admiratione dignissima; quæque Judæos vehementer accusat. Verum nescio

nescio an nos quoque gravius accusandi simus; illorum enim plerique, quoniam terrenarum rerum cupiditatibus occæcos habebant animos, pro suo carnali crassoq; affectu non recte interpretantes oracula; verum præpotentem quempiam ac magnificum Regem sibi pollicebantur, qui copiis, armis, opibus, similibusque hujus mundi præsidias invictus, gentem suam ad divitias, ad honores, ad imperium eveheret, orbemque totam Hebreorum ditioni subigeret. Siquidem cùm è loco motis atque collapsis firmissimis illis columnis, divina operatione statutis & Regno, Sacerdotio atque Lege, status Iudæorum illis subnixus, ingenti esset fragore prostratus, etiam rectorum dogmatum sincera doctrina, plurimis undique erroribus erumpentibus, ferè penitus erat obscurata, ita ut Iudæi penè omnes altissima caligine involuerentur, neq; satis quid verum foret dignoscere ac dijudicare possent. In tam cœcis autem errorum nubibus ac procellis videre non poterant. Christū idè ex augustissimo cœli throno in hanc aream calamitatū descendisse ut toti⁹ Orbis nationes ad veras opes, nec unquā interituras eveheret, easq; bonis cœlestibus in æternum bearet, patiendo, moriendoq; vinceret mortis tyrannidē, beneficio subigeret rebelles, gladio spirit⁹ jugularet mōstra viatorum rebellesq; motus cupiditatū, & expugnatis iis, quæ pugnare adversus Spiritum Dei, de suo conferret nobis justitiam & innocentiam; deniq; ut spirituale regnum nobis armis spiritualibus vindicaret. Quanto igitur majora ad quærendum Christū incitamenta nos, quam magi & Iudæi habemus? Magi nulla adhuc Christum admirabilia opera edentem viderant, non regio cultu atque apparatu nitentem, non ingenti satellitum turba stipatum viderant, & tamen divinæ stellæ radio, tanquam acutissimo quodam jaculo, usque

ad ipsam animæ medullā transfixi , ac transuerberati, deserto regno , nulla interposita mora, Christum quæsiverunt. Nos è diverso in medio Ecclesiæ gremio nati atq; educati, tot miraculis, tot Sacramentis confirmati, quām sæpe incauti Christo resistimus ? quām sæpe pulsanti cordis nostri fortes aperire nolumus? quām sæpe nos sub alas suas congregare cupientem refugimis ? Magi soli tantum iter suscepérunt , nos multa millia comitum habemus, qui ante nos C H R I S T U M quæsiverunt, quærunt, & post nos quæsiri sunt. Magi contempserunt itineris magnitudinem , tot tantumque periculorum metum, tantilaboris molestiam, tantos sumptus, etsi ignorarent utrum expedituri aliquid essent, nec ne. Nobis opus non est magnis impendiis, longa profectione, magno labore, ut ad Christum veniamus, idque sine omni periculo fieri potest. Magos nemo docuerat, quomodo reçens natum Regem honorarent, tamen has quoque partes omnibus perfectissimè persolverunt. Nos habemus tot Martyrum gloriofa exempla, tot Confessorum insignia trophæa, tot Virginum coronas. Nos præter Scripturam sacram , tot saluberrima SS. Patrum scripta, tot quotidianæ Ecclesiæ voces & clamores ad Christum vocant. Imò ipse Christus, per omnem sanctissimæ suæ vitæ seriem , quam efficacibus exemplis animos nostros inflamat? quam salutaribus præceptis format? quām stupendis miraculis excitat? quām blandis monitis trahit? quam certis promissis invitat? quot Martyrum mortibus nos ad hujus vitæ contemptum animat? quot Virginum exemplis ad continentiam accendit? quot Sanctorum monumentis ad pierarem solicitat? quam admirandis Ecclesiæ suæ Sacramentis communis pariter ac ditat? ut erigit, armat, docet, monet, trahit, rapit nos arcans suis literis? in quibus vivas quasdem sui

sui scintillulas condi voluit , magnum amoris incendium excitaturas , si quis modò pia diligentia conetur excutere. Hinc igitur dijudicare licebit , quantopere nostra prigitia sit accusanda , qui tot stellis à Deo evocati , adhuc torpemus , nec à nostro quasi lethargico somno excitamur . Omnia enim prædicta ad virtutem adjumenta , quid aliud sunt , quam stellæ , quæ radios in nos divinæ bonitatis emittunt , quibus nos ad se vocare non cessant , cum nos tamen nec tot stellarum fulgoribus circumfusi , oculos ad divinam lucem aperiamus ? Quid Magos ad tantum iter hyberno tempore conficiendum commovit ? quænam spes impulit præmiorū , ut ad gentis alienæ Regē adorandum venirent , tam vasto præsertim à se terrarum spatio separatum ? Solo , solo indicio stellæ divinitus ortæ commoti sunt . Proh ergo malitiā nostræ ætatis ! quæ nec crebris admonitionibus , nec S. literis , nec exemplorum infinita copia ad Christi cultum permoveri potest . Nulla resest tam dura , quæ non molescat hominum arte , & ô corda nostra plusquam cornea , plusquam ferrea , plusquam adamanta , quæ nec ignis gehennæ , nec Patris lenissimi indulgentia , nec Agni immaculati effusus cruor emollit ? Anne hæc digna multis fulminibus ? Permoveat nos tandem , quod tanti viri , in tanta errorum caligine enutriti , divino instinctu tam facile dent locum , Christum ranta cum diligentia , tanto cum labore , tantoque cum periculo investigent , molestissimum iter ingrediantur : idque hyberno tempore , cum alii hypocautis , aut calidis focis gaudere solent , & in primis Reges : permoveat nos , quod cum Judæi sub alieno imperio essent , ausi sunt natum eorum Regem investigare , non metuentes Romanorum jam totius orbis dominorum potentiam , & quod hoc fecerunt , cum totus fere manus

dus

dus impios Deos coleret, seu cacodæmones potius. Permoveat nos, quod Hierosolymis etiam coram Herode Rege, de novo nato Iudæorum Rege querere non sunt veriti. Permoveat nos, quod in stabulo, coram pecoribus & in opibus parentibus, ad pedes miselli infantis se abjecere non sunt dignati. Permoveat nos, quod loco tam abiecto infantem pannosum, in quo nulla Majestas, nihil divini apparebat, adorarunt. D. Bernardus infra statim eorum fidem diligenter perpendens. Quid faciūs inquit, Magi? quid faciūs quod puerō latenti aurum offertis? ergone Rex est ipse? At ubi aula Regia? ubi thronus? ubi curia regalis frequentia? Ergone Deus quoque est, quod Ethnus offeris. Qui Deum unquam in vili stabulo & præsepio quæsivit? Nonne scriptura dicit, quod Deus in templo sancto suo? Nonne in celo sedes eius? Quid faciūs, quod illi myrram offertis? Quis tam cito vobis dixit, eum pro nobis hominibus moriturum? His, & similibus verbis admiratur Idea illa pietatis stupendam fidem istorum Ethnicorum. Idem facit eximius ille Doctor totius Græciæ Chrysostomus, qui ex auro ore, aureum & divinum orationis flumen fundens: Nunquid invenerunt, inquit, palatum marmorebus splendidum? nunquid aulam regiam diversis populis personantem? Nunquid hastatas sive clypeatas militum catervas? Nunquid equos regalibus phaleris insignes? Nunquid currus auro ostroque fulgentes? Nunquid puerum byssō & purpura involutum? Nunquid matrem eius diademate redimitam, aut in lecto eburneo cubantem? Nihil minus, sed potius angustum & humile tugurium, vile squalidumque præsepium magis animalibus, quam hominibus aptum: puerum vilibus pannis involutum, matrem vix tunicam habentem unam non adornatum corporis sed ad tegumentum nuditatis, Et amen parvulum humili procidentes adorant.

runst. Hæc ille, non minus verè, quām eleganter.
Oculis enim fidei infantem contemplabantur, in
præsepio quidem vagientem, sed in nubibus to-
nantem, in cælo siderum cursus moderantem, So-
lem fulgentissimis radiis, & Lunam cornibus im-
plentem, ac universam hujus mundi molem gu-
bernantem. Non sordebat illis stabulum, non of-
fendebantur pannis, non illos ab officio pietatis
retardabat lactentis infantia vagiētisq; infirmitas:
siquidem in infante videbant eum, cui semper assi-
stit omnis beatorum Spirituum concio gloria, *gloriosa,*
splendidissimas arces super cæli orbes constitutas
incolens, quem viginti quatuor seniores, in facies
suas cadentes, adorant, & cuius Majestatem vene-
rantur centum 44. millia signatorum ex omni Tri-
bu filiorū Israël, & illa omnis generis omniumq;
populorum turba, quam in Apocal. dinumerare
nemo potest. Videbant in loco tam obscuro eum,
qui splendor est paternæ gloriæ, quique solus illu-
minat omnem hominem venientem in hunc mundum.
Videbant fasciis obvinctū, cui Pater omnipotens
universam tradidit potestatem in cælo & in ter-
ra. Videbant in cunis vagientem, qui simpli-
ci nutu condidit universa, eujus jussu filescit ma-
re, vertuntur rerum species, fugiunt morbi, con-
cidunt armati, pelluntur dæmones, scinduntur
petræ, reviviscunt mortui, resipiscunt peccatores,
denique novantur omnia. Videbant in stabulo,
quem admirantur superi, tremunt inferi, medius
hic orbis supplex adorat, ad cuj^o comparationem
summi Reges nihil aliud quām vermiculos etiam
sese confitentur. Videbant in infirmitate, qui
solus mortem aliis invictam sua morte devicit, ac
Satanæ tyrannidem cælesti virtute demolitus
est. Videbant inter bruta animantia, qui perfra-
ctis ac spoliatis inferis, tot piis comitatus anima-
bus vicit cælos adiit, ibiq; sedet ad dextram Dei
Patri.

Patris. Videbant illius manus involutas pannis, & alligatas fascia, qui continet ventum in manibus suis, & aquas quasi in vestimento alligavit. Bre-
viter, videbant quidem infantem pannis obsitum, sed credebant esse eum, qui tam admirabili ratio-
ne ac sapientia cuncta condidit, ut vel in apiculis
multa ac magna suæ sapientiæ reliquerit miracula:
qui remotis initio tenebris, mundum luce vesti-
uit: qui tam stupendo rerum ordine atque har-
monia neicit, continet, administrat universa, obi-
ens omnia nec tam à seipso discedens: omnia mo-
veas, ipse immotus: omnia concutiens, ipse tran-
quillus: postremo, in quo id quod stultissimum est,
universam mortalium Sophorum sapientiam lon-
go superat intervallo. Hanc sublimem humilita-
tem, & humilem sublimitatem Magi admiranda
fide cognoverunt. Sapientissimus Rex Salomon,
cum septem annorum spacio templum illud opu-
lentissimum (quo nullum erat in Orbe terrarum
magnificentius) exstruxisset, intelligens cælorum
Conditorem & Dominum sedem ibi ac domicili-
um delegisse, admirandus exclamavit: Ergone
verè credendum est, quòd Deus habitet super terram?
Si cælum, & celi cælorum te capere non possunt, quanto
magis domus hac, quam adificavit? Si Regi, scientia
Domini exultissimo, adeò mirū & novum esse vi-
debatur, cælorum Conditorem in templo illo, in-
finitis penè expensis magnificentissimè exstructo,
habitare velle: quid, quæso, diceret? quid faceret,
quo stupore afficeretur, si hoc stabulū ingressus, il-
lum ipsum cælorum Regē (cuj9 Majestate amplis-
simam illam domum indignam arbitrabatur) sim-
ul cum sanctissima Genitrice, pudicissima, &
augustissimo Spiritu Sancti templo, inter muta a-
nimantia, inter fœnū & paleas jacentem vidisset?
Si Regina Saba non habebat ultra spiritum, cum
splendidum ejusdem Salomonis & familiæ appa-
[ratum]

ratum vidisset, quanto ergo magis idem Salomon præ admirationis magnitudine defecisset, si summi illius rerum omnium Domini non splendorem & apparatum, sed paupertatem, inopiam, & abjectionem contemplatus fuisset? Magi verò non admirantur, quod immensus & æternus rerum omnium fabricator, quem neque ingens orbis hujus machina, neque spatiofissima illa volumina capere sufficiunt, exiguo corpusculo se totum inclusit. Non obstupescunt, quod ille, cui servat excubias universa cæli militia, nascitur inter armenta, in stabulo sordido; quod paupnis vilibus involuitur, & ligatur robustus illegigas, qui omnes aëreas potestates venerat expugnare. O ergo horrendam sæpeque damnatam impietatem nostrorum Capharnaitarum, qui CHRISTUM in Eucharistia adorare recusant, propterea quod in ea præsentem oculis non vident. Et ut planius doceant se esse hyprophetas illius, qui sibi divinos honores olim à deceptis mortalibus exhibere curavit, pro sua commentitia scrupulositate clamant, se non habere mandatum adorationis. Non venit, inquietunt, ut adorationis à suis exigeret obsequia, nec in eum finem nobis Eucharistiam reliquit. Num idcirco sacrilegiū admisere pientissimi Magi puerum adorādo? Num crimen illius leprosi vindetur indignum, qui ab isto cultu non abstinuit? Num verò Apostolos omnes dicturi sumus idololatrias, quos Matthæus refert redivivum adoravisse? Quorsum venerat in terras Dei filius? Non utiq; ut ministraretur ei, nedum ut adoraretur, sed ut daret animam suam in mortem ignominia plenissimam. Num propterea dicemus male ab omnibus illis adoratum? Absit. Qnemadmodum enim non tunc solum honorandus est Imperator cum sublimis purpuratusq; resideret; sed etiam dum paludatus, aut armatus inter gregarior obambulat: ita

pro-

profectò ubicunque Deus est, qui idem ubique est, eodem semper honore afficiendus est. Etsi Christus erit Angelis adorandus in hunc orbem veniens, hoc est, incipiens esse in terris eo modo, quo ante non fuerat, quidni adoretur etiam nunc a misericordiis mortalibus, cum singulis penè momentis in Altaribus ea ratione existat, qua prius non fuit, cum eadam sit caro, sanguis idem, eademque proorsus persona, Filius Dei, nisi quod nobis immortalis, gloriosus, nullisque miseriis ac doloribus obnoxius proponatur adorandus, quemad hujus mundi infinitas molestias preferendas ventem Angeli & Magi summa veneratione sunt prosecuti? Ne simus nos, Aud. hum. Magis inferiores, offeramus & nos Christo a clivum nostrorum intonsula, quæ jam non in terris & cunis jacens suscipiat; sed quæ sedeus ad dexteram Patris amplectatur in cælo. Hunc denique in primis cognoscere studcamus, cognitum laudemus, laudatum amemus, amatum exprimamus, atque imitemur, imitantes, eo fruamur; fruenteres, immortalifelicitate potiamur. AMEN.

*LXXIX. NIHIL ESSE FORTIVS
Muliere.*

QVanquam agricolæ vigilantes, Auditores humaniissimi, cum habeant vicinum torrentem, qui vexat lœditque segetem, non cum hyeme inundat, & ultra margines intumescit, multoque aquarum impetu fertur violentus, sed tempus illud prævertentes, dum tranquillus est atq; angustus, & ripas obsepiunt, & aggeres erigunt, & fossas augunt, denique omnibus nervis se se præparant adversus futuram ejus violentiam: tamen pastores, quamdiu noxia bestia molesta non est, sub illicet quercu porrecti fistula canunt, sinentes oves liberè suo arbitratu pascere; verum postquam sen-